



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

21. Julii. Par Deo reddenda est ratio, si delitiis in culpam aliquam emolliatur corpus, etsi illud severitate nimiâ enervetur, licèt hæc divini honoris, & meriti causâ suscepta videatur. S. Ignat. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

succurreret ? quis templa, & aras erigeret ?
 si pauperes forent omnes: nisi forent divi-
 tes, non viverent pauperes, quia non esset,
 unde inopiæ suæ levamen acciperent.

Nec omnes ad eundem perfectionis
 gradum vocavit Deus. Qui optimus esse
 desiderat, curet, ut in suo, quem Deus illi
 destinavit gradu, bonus sit; nec enim con-
 tinuò malus, qui non optimus.

Nec tam census aspiciendus, quàm affe-
 ctus. Minorem sæpe dives ad gemmas, &
 aurum, quàm ad cultellum habet pauper,
 tantò contemptibilior, quantò vilius est,
 quod deperivit.

21. Julii.

*Par Deo reddenda est ratio, si delitium in
 culpam aliquam emolliatur corpus, est
 illud severitate nimia enervetur, licet
 hæc divini honoris, & meriti causa sus-
 cepta videatur. S. Ignat. apud Bart. l.
 4. f. 38.*

A Speritatibus, an voluptatibus cele-
 riùs atteratur corpus, ægre dixerim
 Problema esto: ibi severiùs, hìc dulciùs
 perit, perit tamen utroque modo; & usq[ue]
 nempe, & rubigine ferrum atteritur, viâ
 impari, damno pari.

Plures occidit gula, quàm gladius. Venus innumeris venenum propinat, dulce quidem, fatale tamen; mulcet illa corpus & corrumpit; vires attenuat, morbos accelerat, vitam abbreviat.

Corpus nostrum res est magni Dei, & fidei nostræ commissum, quo nec pro arbitratu nostro uti, nec illud periculo exponere sinè crimine possumus. Veniet Dominus rationem exacturus de illo.

Domine ! ut jumentum factus sum ante te. Domini obsequio servari debeo; quod asino, hoc corpori debetur obsequium; pascatur, ut oneri par maneat ferendo.

22. Julii.

Quantò quis oculatior est in scrutandis aliorum defectibus, tantò est in suis agnoscendis negligentior. S. Ignat. apud Bart.

Quid juvat omnes noscere, si tibi vi-
vas ignotus? alios desideras nævi
omnis expertes, tuos negligis! hoc est
scrutari festucam in vicino, & trabem in
tuo oculo non sentire.

Scarabæorum (sordidum genus) natu-
ram alunt, qui aliorum rejectamenta scruta-
tan-